



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola II. Evgenii Papae III. Ad Theobaldvm Cantvariensem
Archiepiscopvm. De controuersia inter Cantuariensem archiepiscopum &
Bernardum episcopum sancti Daudis de iure metropolitico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA II.
 EVGENII PAPÆ III.
 AD THEOBALDVM CANTVARIENSEM
 ARCHIEPISCOPVM.

De controuersia inter Cantuariensem archiepiscopum
 & Bernardum episcopum sancti Davidis de iure
 metropolitico.

*Eugenius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri Theo-
 baldo Cantuariensi archiepiscopo salutem &
 apostolicam benedictionem.*

VENERABILIS frater noster Bernardus, episcopus san-
 cti David, ad nostram præsentiam veniens, ecclesiam
 sancti David olim metropolim fuisse asseruit voce viua, &
 eandem dignitatem sibi a nobis restitui postulauit. Cum
 autem circa petitionem istam inuigilans diu in curia no-
 stra commoratus esset, tu, frater archiepiscope, tandem,
 eo præsentem, ex aduerso confurgens, in præsentia nostra
 aduersus eum querelam deposuisti, quod debitam, tam-
 quam primo metropolitano, obedientiam subtraxisset, ti-
 bique inobediens & rebellis existeret, cum a prædecesso-
 re tuo, tamquam a metropolitano primo consecratus es-
 set, & viua voce & scripto Cantuariensi ecclesiæ profes-
 sionem fecisset, & in multis postea, tamquam alii suffraga-
 nei, tibi obedisset, & astitisset. Ille vero consecrationem
 negare non potuit; sed professionem se fecisse, & obedi-
 entiam exhibuisse omnino negauit: quod tu audiens, duos
 testes in medium produxisti, testimonium perhibentes
 quod ipse, illis videntibus & audientibus, post consecra-
 tionem suam, & viua voce & scripto Cantuariensi eccle-
 siæ professionem fecisset. Nos igitur auditis vtriusque par-
 tis rationibus, & diligentius inquisitis, & testibus tuis stu-
 diose examinatis, communicato fratrum nostrorum con-
 silio, iuramenta eorum recipimus, & vt ipse episcopus ti-
 bi, tamquam primo metropolitano, obedientiam, & reue-
 rentiam exhibeat, iustitia dictante, præcepimus. Vnde,
 quoniam singulis ecclesiis & ecclesiasticis personis suam
 dignitatem, & iustitiam volumus conseruare, beati Lucae

Concil. Tom. 27.

Y

festiuitate proximi sequentis anni, tibi & ipsi diem præfiximus, vt tunc, præsentibus partibus, de dignitate ecclesiæ sancti Dauid, & libertate sua rei veritatem cognoscamus, & quod iustum fuerit, auctore Domino, exinde statuamus.

Datum Meldis tertio Kalendas Iulii.

EPISTOLA III.

EUGENII PAPÆ III.

AD HILDEGARDEM ABBATISSAM.

Monet eam vt per humilitatem studeat donum prophetiæ conseruare.

MIRAMVR O filia, &c. *Extat infra in Concilio Treuerensi sub Eugenio.*

EPISTOLA IV.

EUGENII PAPÆ III.

AD VNIVERSVM CLERVM ROMANVM.

Vt capellani promittant obedientiam rectoribus titularum, siue ecclesiarum.

Eugenius tertius vniuerso Romano clero.

FALLAX & inuidus humani generis inimicus per Arnaldum schismaticum, quasi per membrum proprium, hoc effecit, vt quidam capellani vnitatem ecclesiæ, quæ sectionem non patitur, quantum in eis est, diidentes, ipsius Arnaldi sequantur errorem: & cardinalibus atque archipresbyteris suis obedientiam & reuerentiam promittere & exhibere debitam contradicant. Ne igitur vires dare præfati schismatici prauis actionibus per silentium de cetero videamur, per præsentia vobis scripta mandamus atque præcipimus, quatenus præfatum Arnaldum, tamquam schismaticum modis omnibus deuiteis. Quod si aliqui clerici Dei & sanctæ ecclesiæ contemptores, eius errorem post præsentium acceptionem sequi præsumpserint, scire vos volumus, quia tam officio quam beneficio ecclesiastico reddemus eos penitus alienos.

Datum Brixia Idibus Iulii.